



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

4. Decembris. Quantò magis se reperit anima segregatam, & solitariam, tantò aptiorem se ipsam reddit ad quærendum, attingendúm[ue] Creatorem. S. Ign. in ann. Exercit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

intepescet ; extinguetur fornax, nisi nova
identidem igni materia suggeratur ; nihil
proniùs, quàm ut aqua nativum ad frigus
redeat. Filius ignis es, si luces, & ardes ; si
tepes, fumus es.

4. Decembris.

*Quantò magis se reperit anima segrega-
tam, & solitariam, tantò aptiorem se
ipsam reddit ad quarendum, attingens
dumq; Creatorem.* S. Ign. in ann. Exercit.

Ubi tumultus, ubi hominum, negotio-
rumque multitudo, ibi turba, in qua
nec locus, nec modus est devotioni. Sic,
dum plurima quærimus, optimum amite-
timus ; nihil enim nostrâ cum Deo con-
junctione melius.

Qui omne littus attingit, ad nullum
pertingit ; qui se cum lineis omnibus par-
titur, abit à centro. Si per varia divisi ab-
eant solis radii, non accendunt. Solus
quærendus est Deus, totis amandus est
viribus, ut teneatur.

Aliis expedita cogitationibus mens re-
ctâ feratur ad bonum, tanquam ad sco-
pum, ab hoc ubi declinat, errat : dissipatæ
cogitationes affectum non movent, & af-
fectu

fectu frigido ad Deum, qui ignis consu-
mens est, non pervenitur.

Qui ubique est, nullibi est; qui mercuri-
um solidare non didicit, nec in litterarum,
nec in Dei cognitione, aut amore solidus
est. Pluribus intentus minor est ad singula
sensus; qui unâ manu multa complecti
cupit, nullum tenet.

5. Decembris.

*Magnus est eorum error, quos amor sui obs-
cacavit, obedientes existimare se, cum
superiorem ad id, quod ipsimet volunt,
aliquâ ratione pertraxerint. S. Ign. in
epist. de obed.*

Simiam suam quælibet virtus habet: ut
Spulchra facies sæpe tantum superficies,
ita & virtus sæpe larva tantum est, elegans,
sed sinè cerebro, sinè medulla. Substantia
obedientiæ est, ut non tua, sed superioris
voluntas impleatur.

Aliud est te superiori, aliud hunc tibi,
parere; istud facit, dum non, quod ipse
vellet, sed quod tibi placere intelligit, im-
perat. Nescio, cujus majori vitio, an supe-
rioris? quod fortitudine, an subditi? quod
obedientiâ destituatur.